



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis  
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis  
Eivsdem In tres Tomos distinctis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

5. De Confessione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

in contritione interuenit, non est commutatio, sed absolutio.

Ad cuius pleniorē intelligentiam aduertendum est, in pœna inferni inueniri tria, pœnam damni, pœnam sensus & æternitatem pœnæ: iuxta tria quæ sunt in peccato mortali. Per peccatum siquidem mortale fit auersio ab incommutabili bono, cui respondet pœna damni, separans animam à Deo, & fit conuersio ad commutabile bonum, cui respondet pœna sensus, & constituitur inimicus Dei, cui respondet æternitas pœnæ, inimicus enim quia est hostiliter exterminandus, est æternaliter puniendus. Quum autem peccator conuertitur, quia charitate Deo coniungitur, tollit contritio pœnam damni, quæ separationem à Deo ponebat, & quia per eandem charitatem amicus Dei constituitur, tollit contritio æternitatem pœnæ: amicus enim non est æternaliter puniendus. Et si nihil aliud efficit contritio remanet contritus obligatus ad pœnam sensus, ad quam prius tenebatur: sed non æternaliter sustinetur, sicut prius tenebatur. Et sic licet contritus perseverans nunquam ad infernum iret, passurus totam pœnam inferni: nihil tamen prohibet obligatum eum remanere ad partem illius pœnæ quæ in inferno sustinenda ab ipso erat: scilicet ad pœnam sensus.

Vbi vides, quod non est alia pœna, quæ datur alicui contrito, ab illa, quæ sibi in contrito debebatur: sed est illam pœnam sensus relicta, & hoc contra primum modum dicendi. Nec interuenit commutatio pœnæ æternæ in temporalem: sed expoiatio pœnæ ab æternitate, & hoc contra secundum modum dicendi.

Ve autem restans dubitatio (an, scilicet contritio remittat pœnam sensus) soluat, sciendum est, quod hic certa sunt duo. Primum est, quod quanto contritio est maior, tanto plus tollit de pœna sensus peccato debita. Secundum est, quod tanta potest esse contritio, quod tolleret totam pœnam sensus. Ambigua verò est, an quantalacunque contritio charitate informata (de tali enim est sermo) tollat aliquid de illa pœna sensus: multi enim videntur de hoc dubitare, mihi autem apparet quod pars affirmatiua est vera propter duas rationes: quarum quælibet verificata sufficiens est. Potest enim contritio ex duplici capite tollere in toto, vel in parte pœnam sensus. Primo ex penalitate sibi annexa, displicentia enim commissi criminis non fert secum necessario penalitatem: quum sit in patria, ubi nulla est penalitas: sed in subiecto susceptiuo doloris seu pœnæ, fert secum naturaliter duplicentia penalitatem quandam, dolemus enim de nostris, quæ nobis displicent. Et quoniam huiusmodi pœnam parere, contritioni conueniret seclusa relatione ad sacramentum penitentiae: ideo sicut in hoc caput dicendum est, quod contritio quælibet simpliciter, & absolute ex annexa penalitate tollit aliquid pœnæ sensus: habet enim satisfactoriam vim pœna voluntarie assumpta sicut Deum. Secundò ex merito passionis Christi: est enim passionis Christi meritum remissiuum suis meritis pœnæ pro peccatis debite, plus, & minus prout illis coniungitur. Quod primò apparet in Baptismo, ubi quia passio Christi totaliter communicatur baptizato, quasi ipse baptizatus passus esset, tota pœna tollitur. Apparet deinde & in sacramento penitentiae actualiter suscepto, dum ex vi sacramenti communicatur meritum passionis Christi conuenit contritioni aliquantè saltem pœna sensus. Et quia coniunctio ad meritum passionis Christi conuenit contritioni

non simpliciter & absolute, sed relate ad sacramentum penitentiae: ex hoc quod contritio fert secum votum sacramenti penitentiae, coniungit merito passionis Christi per sacramenta nobis coniuncto. Et secundum hoc caput dicendum est, quod quæcumque nostra contritio tollit aliquid pœnæ sensus ex merito passionis Christi: Nā rationale est, quod plus pœna tollat charitas extensa ad sacramentum, quam non extensa ad illud. sed charitas non extensa ad sacramentum (qualis erat antiquorum penitentium charitas) tollebat ex vi quidem charitatis, & pœnam damni, & æternitatem pœnæ: ex annexa autem penalitate tollebat in toto, vel in parte pœnam sensus; ergo charitas penitentium in noua lege, quæ est charitas extensa ad sacramentum penitentiae, plus pœnæ tollit. minor huius rationis propositio clara est. Maior autem facile suadet ex eo quod penitentiae sacramentum actualiter exhibitum, est proculdubio remissiuum pœnæ sensus in toto, vel in parte: ex hoc enim consequens est, ut idem ipsum sacramentum in voto charitatis existens apud contritum, aliquid huiusmodi pœna remittat. Simile enim quid perspicimus in baptismo; quod scilicet id quod operatur Baptismus exhibitus, operatur etiam in uoto charitatis habitus non ita copiose. Nec excluditur maioris huius veritas, si dicatur, quod charitas extensa ad sacramentum, habet ex extensione ad sacramentum, quod tollat illam, quæ tollebat charitas antiquorum penitentium absolute. Nam hoc non est charitatem extensam ad sacramentum efficere plus, sed est efficere pluribus rationibus unum & idem extensè: siquidem charitas ad sacramentum duplici ratione tollit pœnam damni, & æternitatem pœnæ, scilicet ex vi charitatis, & ex vi sacramenti in uoto. Sed hæc veritas non excludit quin uerum quoque esse debeat, quod huiusmodi extensa charitas plus efficiat, plus pœnæ tollat, quia hoc ad uim sacramenti spectat. Ex quibus omnibus patet dicendum esse ad quaesitum, quod contritio ratione charitatis, qua formatur, non solum tollit culpam, sed & pœnam damni, & æternitatem pœnæ: ratione uero annexæ penalitatis tollit aliquid pœnæ sensus; & ratione sacramenti in uoto tollit rursus aliquid pœnæ sensus. Et tam uehementer, inquit diuus Thomas in 27. c. contra Gen. potest esse huiusmodi coniunctio contriti ad meritum passionis Christi, quod tolleret totam pœnam sensus.

Ad primum argumentum in oppositum, dicitur, quod satisfactio distincta est a contritione secundum ea: quæ cõiter humano genere inueniuntur: communiter enim contriti non tam uehementer iunguntur passioni Christi, ut non sit opus satisfactione ad arbitrium sacerdotis. Traditur enim tam doctrina, quam lex moralis secundum ea quæ ut in pluribus contingunt.

Ad secundum dicitur, quod iam ex dictis apparet duo capita, unde quantalacunque contritio tollat aliquid pœnæ sensus, inter quæ capita coniunctio ad meritum Christi precipue perspicitur: quoniam illud est de ratione contritionis, annexus autem dolor quasi uicem satisfactionis tenere videtur.

### TRACTATUS QUINTVS De Confessione, in quinque quaestiones diuisus.

- 1 Num omnis teneatur ad confessionem.
- 2 Num peccata mortalia totaliter occulta, ut in solo corde latentia sint necessario confitenda.

Opusc. Caiet.

G

3 Num

- 3 Num oporteat confiteri singulas species singulorum peccatorum:  
 4 Num peccata semel rite confessi subsecuta absolute, & satisfactione possint iterum fructuose confiteri.  
 5 Num informis confessio sit iteranda.

## QVAESTIO I.

An omnes teneantur ad confessionem.



**E** confessione qua secunda est pars poenitentiae, quaeritur primo circa eius necessitatem, an omnes teneantur ad confessionem. Et est ratio dubitandi: quia nonnulli sunt viuentes absque peccato mortali: & propterea in dubium vertitur, an omnes teneantur confiteri.

Videtur enim quod sic: quia extra, de pen. & remis expresse dicitur, Omnis vtriusque sexus quum ad annos discretionis peruenerit, &c. et confirmatur, quia quum nullus excipitur, sequeretur quod ecclesia in hoc statu praesupponeret omnes fideles singulis annis peccare mortaliter. Et patet sequela, si sola peccata mortalia praecipiantur confitenda. Et rursus confirmatur, ex hoc quod absque distinctione aliqua omnis vtriusque sexus ibidem obligatus est semel in anno ad confessionem, & ad communionem in Pascha; sed constat, quod omnis vtriusque sexus, &c. siue peccauerit mortaliter, siue non, comprehenditur sub illo praecipio quo ad communionem: ergo omnis etiam vtriusque sexus, &c. siue peccauerit mortaliter siue non, comprehenditur sub illo praecipio quo ad confessionem.

In oppositum est, quod nullus tenetur confiteri venialia. Ad hanc questionem respondetur distinguendo & bene, de necessitate, vel sacramenti, vel praecipii ecclesiastici. Et dicitur, quod de necessitate sacramenti, nullus tenetur confiteri, nisi peccatum mortale certum, vel dubium: quia post Baptismum non potest aliter remitti mortale peccatum, nisi per sacramentum poenitentiae in re vel in voto. De necessitate autem praecipii ecclesiastici duplex est opinio. Vna est, quod carens peccato mortali tenetur confiteri semel in anno aliquod veniale, ut sic impleat ecclesiae praecipium. Altera est, quod carens peccato mortali, non tenetur confiteri aliquod veniale: quia non comprehenditur sub ecclesiae praecipio.

Et licet prima opinio sit tutior, secunda tamen est verior, imo sola vera, quod probatur multipliciter primo ex ratione praecipii: ratio. n. ecclesiastici. Praecipium non est precipere confessionem, sed praecipium diuino iure confessionem determinare, quo ad tempus executionis, & propterea sub ecclesiae praecipio non alia comprehenditur confessio, quam illa, quae a Christo est praecipita, sed a Christo non est praecipita, nisi confessio mortalium: ergo ab ecclesia sola peccatorum mortalium, confessio praecipita est. Secundo, & est confirmatio praecedentis patet idem ex verbis ipsius statuti, dum dicit, Omnia sua peccata, non enim hoc potest intelligi de peccatis venialibus: quum constat neminem quocumque praecipio teneri ad omnium venialium confessionem. oportet ergo intelligi de mortalibus. Et propterea ex explicata materia confessionis, scilicet quae sunt omnia sua peccata, clare patet quod de sola confessione praecipita ex diuino iure, ecclesiasticum statutum loquitur: est enim materia confessionis a Christo praecipita omnia poenitentis peccata

comprehendens: materia autem confessionis venialium non comprehendit omnia poenitentis peccata.

Tertio, patet idem ex pena subiuncta: scilicet quod viuus arceatur ab ingressu ecclesiae & moriens Christiana careat sepultura. Huiusmodi enim poenae non sunt a pia matre ecclesia perfectioribus iuris, quales sunt viuentes sine peccato mortali, pro omissione confessionis venialium, ad quam alii non tenentur, intelligenda; quinimo ex hoc sequeretur, quod meliores essent deterioris conditionis. Quare patet idem ex subiuncta causa frequentis publicationis dicti statuti scilicet, ne quicumque ignorantie cecitate velamen excitationis assumat. Hoc. n.

**G** in huiusmodi confessione venialium locum habere non videtur. Et confirmatur haec omnia ex Clement. ne in agro dominico, de sta. mona. ubi mensura confessio nigris monachis imponitur, absque explanatione materiae, non enim dicitur quod confiteantur omnia sua peccata, ut ex hoc intelligatur astringi illos, etiam si mortali peccato careant ad confessionem semel in mense, vnde non supra dicta, sed pena regularis disciplinae subiungitur imponenda temerario uiolatori: sicut enim religiosi ex suis statutis obligantur ad alia quae absolute sunt bona supererogationis: ita obligantur ad confessiones statutas, etiam si mortali careant peccato. In cuius signum puniuntur in religionibus qui statutis diebus non confitentur; quatumcunque nullum habeant mortale.

**H** Ad obiectionem ergo primam dicitur, quod materia confessionis explicata per ly, omnia sua peccata, restringit ly, omnis vtriusque sexus, ad indigentes confessione: ac per hoc excipit omnes carentes mortali peccato; ita quod sensus est, omnis vtriusque sexus indigens confessione, &c. Et ad primam confirmationem dicitur quod saltem assumit seu supponit: scilicet nullum excipi ab illa vniuersali, omnis vtriusque sexus, &c. immo ideo ecclesia apposuit ly omnia sua peccata, ut exciperet multos, quos credit sine peccato mortali vitam durare. Ad secundam autem confirmationem dicitur, quod quum duo predicata exigant duo subiecta, enuntiatio illa, quia omnis vtriusque sexus confiteri & communicare praecipitur, est enuntiatio non una, sed plures, licet secundum uocem sit una. Vnde sensus primus est, omnis vtriusque sexus indigens confessione, omnia sua peccata confiteatur, &c. Sensus vero secundus est, Omnis vtriusque sexus communicet in pascha, &c. Et ratio diuersitatis iam dicta est: quia ibi explicatur materia restringens ly omnis vtriusque sexus respectu confessionis, & non restringens respectu communionis.

## QVAESTIO II.

An peccata mortalia totaliter occulta (ut sunt peccata in solo corde) sunt necessario confitenda.

**K** Circa materiam confessionis quaeritur secundum, an peccata mortalia totaliter occulta (ut sunt peccata in solo corde) sint necessario confitenda. Videtur enim quod non. Tum quia non sunt de necessitate ecclesiastici praecipii: non potest enim ecclesia de huiusmodi occultis secundum se precipere aut iudicare. Et si datur, quod occultorum confessio cadit sub praecipio ecclesiae indirecte, scilicet ratione integritatis, pro quanto is, qui tenetur singulis annis alia peccata confiteri, tenetur quoque ex consequenti peccata cordis singulis annis confiteri, ut confessio omni anno sit integra. Haec instantia nihil valet: quum posito homine, qui sola peccata cordis mortalia haberet aliquo anno, sequeretur

sequeretur, quod illo anno non teneretur confite-  
ri: quoniam tunc non haberet locum ratio inter-  
gritatis.

Tum quia huiusmodi occultorum confessio  
non est de necessitate sacramenti, quoniam sola  
illa peccata sunt de necessitate sacramenti, quae sub  
iudicio homini commissio à Christo comprehen-  
duntur: sed nullum iudicium commissum homini  
Christo extendit se ad huiusmodi occulta: ergo  
occulta haec, non sunt de necessitate confitenda.  
Maior patet, quoniam iudicium fori penitentialis  
homini commissum est a Christo, & non Ange-  
lis, aut quibuscunque aliis. Minor verò probatur  
authoritate Apostoli, Nolite ante tempus iudicare,  
&c. Si dicatur, quod duplex iudicium commissum  
est homini a Christo: alterum enim potestatem iuris-  
dictionis (& hoc non se extendit ad huiusmodi oc-  
culta: & de hoc loquitur Apostolus.) Alterum enim po-  
testatem ordinis, & hoc extendit se ad occulta: &  
est iudicium quod exercet ecclesia per suos mini-  
stros in foro penitentiali. contra dupliciter. Primo  
quia iudicium penitentialis licet exigat potestatem  
ordinis exigit quoque potestatem iurisdictionis: quoniam  
solus faciens ordinari vel delegatam iurisdictionem  
habet, & minister huius sacramenti, ut patet in  
ea omnis utriusque sexus, est alibi: Secundo: quia  
vnum quodque recipitur in alio secundum modum  
recipiendi, ac per hoc iudicium secundum potesta-  
tem ordinis a Christo commissum homini ex hoc  
ipso, quod homini commissum est, modificari o-  
porteret secundum conditionem ipsius hominis, quae est  
non se extendere ad occulta cordium: haec enim soli Deo sunt  
reservata, non in minus iudicando, quam in cogno-  
scendo, et confirmatur haec ratio ex hoc, quod quum  
ad ipsum Dominum Iesum Christum resideret utra-  
que potestas, scilicet ordinis & iurisdictionis, non  
diminuitur, sed plenissime: & utraque inveniatur  
ecclesiae suae commissio non imperfecte, sed latissi-  
me (ut de potestate iurisdictionis patet Matthaei  
decimo octavo, & de potestate ordinis Ioannis vigesimi  
mo) sicut potestas iurisdictionis ex hoc ipso, quod  
commissa est homini, non extendit se ad occulta  
omnino, ita potestas ordinis ex hoc ipso, quod com-  
missa est homini, non debet se extendere ad totum  
occulta.

Ad veritatem dubii huius plenius percipiendam,  
sciendum est, quod licet quidam ex huius-  
modi forte rationibus, aut melioribus moti opi-  
nari videantur peccata omnino occulta non esse  
necessario confitenda sacerdoti, sed soli Deo, eo-  
rum tamen error extrinsecus patet. Primo ex forma-  
li ratione materiae confessionis, seu (quod in idem  
erit) iudicii poenitentialis: quum enim Dominus  
poenitentialis iudicium instituerit, ac commiserit  
post resurrectionem suam, dicens Ioannis vigesimi  
mo Apostolis iam sacerdotibus, Quorum remi-  
seritis peccata, remittuntur eis, & quorum retine-  
ritis, retenta sunt: & materiam iudicii explicaverit  
quo ad substantiam tantum, dum remittendo  
vel retinendo explicavit peccata: & non possit in-  
telligi ita nudè, ut sonat litera (quoniam certum  
est, quod per huiusmodi commissionem non pos-  
sunt nec potuerunt ministri novi Testamenti re-  
mittere peccata eis totaliter incognita, inconfessa,  
obstinata) oportet aliquas subintelligere condi-  
tiones peccatorum remittendorum: & quia iudicium  
praesupponit cognitionem, & modus iudicii mo-  
dum cognitionis: ideo communi catholicae ecclesiae  
sensu subintelligitur, spontanea confessione ad vos

delata: ita quod sensus est: Quorum remiseritis pec-  
cata, spontanea confessione reorum ad vos delata,  
remittuntur eis, &c. Vbi clare patet materiam iudi-  
cii poenitentialis esse peccata spontanea reorum  
confessione delata: haec est enim formalis ratio ma-  
teria huius iudicii, ad quam totam, se extendit, &  
extra quam non se extendit poenitentialis iudicium:  
quoniam haec omnia & sola remittere vel retinere  
potest. Ex hac autem formali ratione materiae hu-  
ius iudicii, habetur facile quod peccata quantum  
cunque occulta, sunt materia huius iudicii: nam  
quantumcunque occulta peccata, comprehendun-  
tur sub his, quae sunt spontanea confessione de-  
leganda: nullum enim est ita latens, quod non possit  
cuius, qui commisit, confessione spontanea aperiri.  
Vt confirmatur ratio haec ex parte formalis mate-  
riae ex ipsis verbis Domini. Differenter siquidem  
significavit Dominus materiam iudicii poeniten-  
tialis seu potestatis ordinis, & materiam iudicii se-  
cundum potestatem iurisdictionis: quoniam respe-  
ctu potestatis ordinis explicavit pro materia pecca-  
ta, dicens: Quorum remiseritis peccata, respectu ve-  
rò potestatis iurisdictionis explicavit pro materia  
peccatum in alium, dicens: Si peccaverit in te fra-  
ter tuus &c. Ex qua differentia docuit nos divina  
sapientia, a materia iudicii poenitentialis nullum pec-  
catum excipi: ac per hoc comprehendit praecipue  
peccatum in sua primaria sede residens, hoc est  
peccatum cordis: sub materia verò potestatis iur-  
isdictionis non comprehendit peccatum omne  
sed exterius tantum, quod solum potest alium of-  
fendere: propterea ab illa excepti peccatum cordis,  
nisi pro quanto esset ratio exterioris commissionis  
vel omissionis.

Secundo, ex ratione proprii finis ipsius confes-  
sionis, ex quo sine sumitur formalis ratio eiusdem  
confessionis, quatenus est actus poenitentiae: ordi-  
natur enim confessio ad subiiciendum voluntarie  
reum ministro Dei offensi, ut ad arbitrium ipsius  
recompenset. Et hinc confessio ipsa, quae est actus  
veritatis, fit actus poenitentiae: dum reus veraciter  
proponendo in quo offendit, seipsum accusat ac  
subiicit ad recompensandum non de quibusdam  
sic, & de quibusdam non, sed omnes accusando  
offensas, ut de omnibus arbitrari possit minister of-  
fensi. Hoc autem constat, quod non fieret si om-  
nino occulta peccata cordis non exciperentur, ut  
igitur de peccatis cordis possit ad arbitrium offer-  
ri recompensare, oportet peccatorum offensas cor-  
dis subiicere ipsius Dei offensi iudicio, in persona  
sui ministri.

Tertio, ex usu ecclesiae. Nam communis animi co-  
ceptio Christianorum est peccata omnia sine occul-  
ta, siue manifesta oportere in sacramento poeniten-  
tiae confiteri. Et ad hoc est determinatio generalis  
Concilii primo Lateranensis sub Innocentio 3. Vbi  
dicitur, quod omnis utriusque sexus confiteatur peccata sua  
omnia, nullum ergo excipitur peccatum. Et dein-  
de in Concilio Florent. sub Eug. 4. Vbi dicitur omnia  
sua peccata, quorum memoria habet, confiteatur,  
vbi patet etiam peccatum cordis non excipi.

Ad primam autem objectionem in oppositum  
dicitur, quod ecclesia potest praecipere & praecipit  
singulis annis confiteri omnia sua peccata morta-  
lia, etiam si solum peccatum cordis occultissimum  
haberet: non quia ipsa habeat indicare de occultis,  
sed quia ipsius est determinare praecipit Christi ad  
certum tempus. Hinc enim fit, ut praecipiente Chri-  
sto confessio cuiuscunque mortalis peccati post

Baptismum, siue peccatum sit solum in corde, siue ad extra prodierit, ecclesia determinans tempus confessionis ad singulos annos, obligat ad confitendum singulis annis omnem, qui pro tunc habet aliquod peccatum mortale, siue occultum, siue non. Nam determinatio ecclesie non minuit aut restringit materiam confessionis præceptæ à Christo: sed tempus tantum confessionis determinat, relinquens materiam in suis limitibus.

Ad secundum verò dicitur, quòd responsio ibi data vera est. Et ad primam illius impugnationem dicitur, quòd concursus potestatis ordinis & potestatis iurisdictionis, non tollit aliquid à potestate ordinis: & ideo cum hoc quòd potestas ordinis extendit se ad occulta cordium peccata, stat quòd cum ea concurrat potestas iurisdictionis, quæ secundum se ad huiusmodi occulta non se extendit. Et si perspicacius fueris intuitus, videbis quòd ad forum poenitentiale potestas ordinis cõcurrit, directe respiciens ipsa peccata: potestas autem iurisdictionis concurrat directe respiciens personam peccatoris: ut scilicet peccator sit subditus sacerdoti, ut habeat potestatem ordinis, in quem exerceat actum suum remissionis, vel retentionis peccatorum. Ad secundam verò dicitur, quòd quia omne iudicium homini commissum à Deo modus cognoscendi in vtroque iudicio: ideo ex huiusmodi instituta diuersitate modi cognoscendi, prouenit diuersitas ista: scilicet quòd iudicium poenitentiale extendit se ad omnino occulta peccata, iudicium verò iurisdictionis purè extendit se ad externa tantum: ideo non est miranda disparitas vtriusque potestatis in homine. Quòd enim iudicium omne commissum homini à Christo intelligatur cum cognitione causæ, probatione non eget: quum non sit delegatum purum ministrum, sed cum missa sit autoritas iudicandi, remittendo vel retinendo, absoluedo vel ligando. Quòd etiam diuersus modus cognoscendi sit vtroque à Christo institutus, patet: nam modus cognoscendi in potestate iurisdictionis est cognitio per testes: ut patet Matthæi 18. modus autem cognoscendi in iudicio potestatis ordinis, est spontanea confessio se creta, & cetera vniuersalis ecclesia testatur. Quòd demum ex hac diuersitate modi cognoscendi, proueniat differentia dicta inter materiam, & materiam, ex supradictis clare patet: quoniam ex hoc, quòd peccatum spontanea rei confessione accusandum, est materia iudicij poenitentialis, cõclusum est sub hac materia cõprehendi peccatum cordis, quantumcunque occultissimum & per oppositum, quia solum peccatum testificabile est materia iudicij exterioris: ideo peccata in solo corde manentia exenpra remanent à materia ecclesie iurisdictionis. Quum ergo obiicitur, vnum quodque recipi in alio per modum recipientis, admittatur. Et quum infertur, ergo iudicium secundum potestatem ordinis commissum homini, modificatur secundum cõditionem hominis, cõceditur, formaliter loquendo: quoniam nullum actum commisit Christus ministro sacramentis poenitentiae, qui non exerceatur ab eodem secundum cõditionem hominis: nã & audire peccata, & discernere inter ea, & interrogare circũstancias peccati & peccatoris, & retinere seu remittere, facit humano more, vtendo diuina potestate. Et ideo quum vterius infertur, ergo non se extendit ad occulta, negatur illatio: quoniam aliunde prouenit, quòd iudicium se extendat, prouenit enim ex modo accusandi quo reus tenetur se accusare, scilicet sponta-

nea confessione, &c. & hoc quia Christus sic instituit. Cognoscere autè & iudicare de occultissimis spontanea confessione accusatis, non excedit modum cõditionis humanae, vtentis potestate diuina: vnde ad confirmationem & simili ratione potestate iurisdictionis, dupliciter dici potest (vt patet ex dictis) quòd non est similis ratio de vtriusque potestatis iudicio. Primò, quia modus cognoscendi in vtroque iudicio est ex diuina institutione diuersus. Secundo, quia ipse Dominus expressit diuersimode vtriusque materiam, dum vnus materiam dixit peccata, absque limitatione aliqua: alterius verò dixit peccatum in alium, limitando peccatum in alium.

### G R A T I A N I Q V A E S T I O . I I I .

*An oporteat confiteri in speciali singulas species, & numerum certum peccatorum.*

**C**irca materiam rursus confessionis quaritur tertio, vtrum oporteat confiteri in speciali singulas species, & numerum certum peccatorum. Et est ratio dubij: quum pars affirmatiua cõi autoritate doctorum firmata videtur. Et ratione comprobatur. Tum quia circũstata varians species peccati mortalis, est necessario cõfiterenda: ergo a fortiori quælibet species mortalis peccati, est ex primèda. et similiter numerus peccatorum, quum non sit circũstantia peccati, sed multiplicatio eiusdem, necessario exprimens, prout memoriæ occurrit: quum non magis teneatur poenitens accusare se de decimo, quàm de vicesimo secundo peccato vel econuerso. Et confirmatur, quia si non omnes species & omnia singularia oportet exprimere, consequens est quòd aut nulla species nullaq; singularia, aut quaedam species & quaedam singularia sic & quaedam ad quaedam non, necesse est explicari, & quum non possit affirmari primò, oportet reddere rationem quare quaedam sic, & quaedam non.

Tum quia poenitens teneatur explicare omnia quæ oportet cognosci a cõfessore ad hoc, vt possit suo arbitrio adquare penam culpe: quoniam cõfiterendo nihil aliud facit poenitens quam quòd submittit se sacerdoti in persona Christi ad recompensandum secundum illius arbitrium: sed cõfessor non posset arbitrari de equalitate recompensationis: nisi cognosceret diuersitatè offensarum, quæ in diuersitate specifica consistit, & numerum peccatorum: quoniam recompensa ad aquans ceterum offensas, non adæquat mille, & sic de aliis ergo.

Pro parte autem negatiua videtur esse vñus maioris forte partis confessorum, ac poenitentium non curantium de huiusmodi subtili discussione. Et cõfirmatur ratione: quia huiusmodi discussio est molesta, inutilis atque melioris boni impeditiua. Et molestia quidem satis patet expertis. Quòd verò sit inutilis, ex eo patet, quòd tam cum huiusmodi discussione, quàm sine ea poenitentes prouidentur eodem modo. Quòd autem sit impeditiua maioris boni, testatur experientia: quoniam & cõfessores circa huiusmodi discussionem solliciti impediuntur a multorum confitentium audientia, dum forte totum tempus cõsumunt circa vnum, & poenitentes minus deuote confitentur implicati huiusmodi discussionibus.

Ad huius questionis euidentiam sciendum est, duplex esse iudicium, quoddam est cuius actus est propter seipsum intentus: quoddam verò, cuius actus est propter aliud. Ad primum iudicium, quia spectat facere iustitiam absolute, pertinet quoque cognoscere singula peccata, vt singula possit adquare puniendo.

niendo. Ad alterum verò iudicium, quia non tendit ad punitionem secundum se, sed in ordine ad alium finem, puta bonum commune: sicut sufficit punire prout expedit illi fini, ita sufficit cognoscere quantum opus est ad illum finem. Inter presentis autem uitę tempus & futura hoc interest, quantum ad iudicium, quod nullum presentis uitę iudicium tendit ad punitionem secundum se, sed ut medicinale, eo quod presentis uitę tempus non est tempus punitionis, sed in quo poenę sunt medicinae, vel ipsius qui punitur, vel aliorum. Iudicium autem futurę uitę est id, quod ad punitionem secundum se ipsam tendit: quoniam ad adequandam poenam culpe ordinatur, non ad bonum puniti, nec ad cautelam aliorum, sed ut reus patiat quod meretur.

Nec putet aliquis iudicium quod in foro penitentia exercetur, locari debere sub iudicio primo modo, propterea quia iudicium hoc est magis diuinum, quam humanum, & confessor in tantum personam Dei in actu illo tenet, ut nesciat ipse quod fecit, ut Deus. Falsa est imaginatio ista. Tum quia iudicium penitentiale ad presentis uitę tempus spectat, ac per hoc non exemptum a cõmissa rone iudicii presentis uitę. Tum quia Saluator noster hoc attestatur, dicens, Io. 3. Non enim misit filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Hinc enim apparet, quod Christus non venit in primo aduentu ad iudicandum mundum per ministros suos, hoc est ad iudicium secundum se exercendum, sed ad saluandum, hoc est quantum ad penitentię sacramentum spectat, ad iudicium salutare per suos iudices exercendum. Idem est autem iudicium salutare & iudicium medicinale, & penitentiale iudicium ad primum Dñi aduentum spectat proculdubio, ad quem spectat sacramentum penitentię. Est igitur penitentiale iudicium non iudicium absolute, sed iudicium salutare, seu medicinale, ac per hoc non tendit ad punitionem secundum se, sed in ordine ad salutem, non aliorum, sed ipsius rei solius.

Et quia hoc proprie est officium confessoris, id hinc perspicere oportet, quanta debere esse cognitio peccatorum, oportet enim tantum manifestari peccata, quantum exigit huiusmodi salutare iudicium. Si enim ad hoc salutare iudicium exigitur manifestatio omnium, & singularum specierum, & certi numeri singularium, consequens est, quod oportet poenitentem hæc explicare iuxta possibilitatē suam: si uerò huiusmodi discussio non exigitur, consequens est quod non oportet poenitentem hæc explicare. Et si hæc negatiua admittitur, consequens est ut delectetur, quæ & quanta discussio exigitur ad hoc salutare iudicium. Dicamus igitur, quod iudicium huiusmodi claudit in se duo si esse iudicium, & esse salutare: ita quod secundum est finis primi: & propterea ex secundo manifestandum est primum; tantum enim debet concurrere de eo quod est iudicij, quantum expedit vel saltem opus est ad hoc, ut iudicium sit salutare poenitentis. Et quia salutare poenitentis iudicium à iudicio absolute differt (ut dictum est) quantum ad punitionem, in hoc quod in iudicio absolute intenditur ad punitionem secundum se, in iudicio uerò salutari intenditur punitio salutaris poenitentis: consequens est ut differentia quoque sit quo ad cognitionem. Nam quia punitio secundum se consistit in adæquatione poenę ad culpam, oportet in iudicio absolute cognoscere exacte culpas omnes & singulas, ut equari illis possit poenã. Et quia punitio medicinalis consistit

A in comensuratione poenę ad poenitentem & illius salutem (sicut medicina consistit in comensuratione tam ad infirmum, quam ad sanitatem acquirendam) & comensurata poenã tam poenitenti, quã ipsius salutis absque exacta cognitione omnium & singularum culparum recte iudicatur, atque imponitur, ut patet quantum ad peccatorum species de superstitionis seu diuinationis, & similiarum speciebus) absque discussione harum, comensurata tam poenitenti, quã eius salutis puniitio atque prouisio fit. Quantum uerò ad peccatorum numerum, ex eo quod medicinalis tam puniitio, quã prouisio idẽ habet iudicium, si certificatus fuerit numerus uicinaris & si incertus relictus sit an duobus demptis vel adiunctis: & similiter si certificatus fuerit centenarius, an dubium inter nonagenarium & decem supra centum, & sic de alijs. Hęc enim, & similia manifestant quod salutare iudicium non exigit exactam omnium, & singularum culparum cognitionem, sed ex sua formali ratione exigit omnes & singulas mortales culpas cognosci usque ad hoc, quod notum fiat confessori, quę, qualis, & quanta poenã comensurari debeat huic poenitenti recte disposito, & illius salutis. Dico autem recte disposito, quia licet aliquis poenitens sit minus deuote dispositus, ac per hoc comensurata sit indispositio, poenitentia erit forte oratio dominica semel: manifestatio tamen peccatorum in iudicio salutari debet perducere confessorum ad cognoscendum, quanta, qualis, &c. & poenã deberet sibi comensurari, si esset recte dispositus: huiusmodi. n. indispositio poenitentis, quia est per accidens, non uariat id quod per se exigit salutaris iudicij ratio. Notanter quoque dixi, iudicium salutare non requiri cognitionem exactam omnium & singularum peccatorum mortalium, & non dixi quod requirit imperfectam eorundem cognitionem: quoniam exigit nec excludit plenã eorundem cognitionem. sub formali nanque ratione iudicij medicinalis potest materialiter quandoque contineri exacta notitia peccatorum.

D Et quoniam practica nimis est & ualde communis notitia de confessione, idcirco ad particularia descendendo dicimus, quod species peccatorum mortalium sunt in duplici differentia. Nam quedã sunt, quarum diuersitas diuersitatem iudicij salutaris inducit: aliter. n. iudicandus est pro sua salute blasphemus, aliter adulter, aliter homicida, &c. & tales sunt species peccatorum, quę in cõi habentur notitia, ut adulteriũ, fornicatio, furtum, rapina, contumelia, detractio, &c. Quaedam uero species sũt quę nullam uidentur facere in salutari iudicio differentiam, ut sunt species diuinationis, idem est. n. iudicium penitentiale si quis aqua vel terra abusus fuerit, & sic de alijs, & huiusmodi uidentur esse species generalę, & uniuersaliter oēs latentēs, quas forte uix doctores discernunt. Et propterea explicare primas peccatorum species in confessione oportet, secundas uerò sufficit explicare in generibus subalterni, puta peccati in necromantia, & sic de alijs.

E Circa numerum uerò peccatorum sciendũ est, quod dupliciter accusandus occurrit. primo secundum se, secundo ut circumstantia peccatoris. Et secundum quod est circumstantia peccatoris, differentiam quodammodo inducit in iudicio salutari, & quodammodo non inducit, nam aliter iudicandus est & medendus qui semel tantum, aut bis offendit, & aliter qui centies offendit. Sed qui toties quoties potuit offendit, eodem modo iudicatur ac medet si milies, & si ceteris. milies offendit, nec

hoc eget probatione; quoniam experientia testatur. Secundum se autem numerus peccatorum accusatus venit, non ut facit differentiam in iudicio absoluto, sed ut facit differentiam in iudicio salutari: & propterea si nescitur, sufficit explicare illum crassa quadam estimatione: nam salutari iudicii ratio non variatur ex hoc: verbi gratia, Commisit quis furtum multoties: videtur sibi quod parum plus aut minus fuerit, quam vigesies, non est opus sollicitari, forte fuerunt viginti duo, forte 19. sed sat est, ita confusè numerum explicare ut occurrit. Quocirca numerum peccatorum tam ut constantiam peccatoris, quam secundum se, si certus non est (nam ad certum numerum occultandum nulla conductio) vel explicandus est sub quodam verisimili numero: vel quum consuetudo peccandi præcessit, explicato tempore, puta quod per decennium fuit in hac mala consuetudine & frequentia delinquendi, puta quod quotidie aut ferè, seu quouis alio modo multitudinem maxima seu frequentia manifestata aperiendus est. Nec oportet in homini numeris poenitentem aut confessorem multum sollicitari: quoniam par est salutari iudicii ratio. Et quoadque utriusque nocet sollicitudo circa hoc: magis enim debet manifestari frequentia cum poenitentia, quam indagari verisimilis certus numerus: puta ter centum, seu mille, &c. Unde si meretrix audientia est ad poenitentiam conuersa, facillimè potest quoad hæc expediri, narrando discursum vite suae in annis meretricis: nec oportet sollicitari quoties cum coniugatis, quoties cum clericis potuit peccare, sed ex discursu vite suae discretè manifestato arbitretur & medeatur prudens confessor. Hæc sunt quae ex parte salutari iudicii exprimenda videtur in confessione: quibus si adiunxeris, quod ex parte poenitentis tenetur reus ipse accusare se de omnibus, ut reconciliatio amicitiae fiat, dicendum est, quod poenitens debet habere intentionem explicandi omnia mortalia, ac per hoc sub quocunque modo dicendi debet intendere comprehendere omnia: ita quod explicare species, vel in diuina tali, uel tali modo, non exigitur a poenitente, aut confessore ad occultandum aliquid, sed ad faciliorem modum explicandi omnia. Et sic dicendo euitatur error putantium, quod sufficit explicare numerum in communi: puta dicendo quod pluries furatus sum. hoc enim non sufficere manifestè patet, ex eo, quod aliter iudicandus est & medendus qui bis tantum, & qui centies furatus est. Et uitatur molestia ac sollicitudo reducendi incertum numerum ad certum: media siquidem via incedendum est, ut salutari iudicii ratio habeatur: quod medium est inter purum iudicium & certum iudicium. Et utraque pars quasi aequaliter est uera: & auctoritati Doctorum & ipsius confessorum ac poenitentium simul deferitur.

Ad obiectiones tamen primo allatas, pro quantum contra conclusa militant, respondendum est. Et ad auctoritatem quidem Doctorum dicitur, quod intelligitur quando certus est numerus peccatorum: ex quo non poenitens intendit omnia dicere, & certus est de numero peccatorum, nulla apparet ratio quare non debeat numerum illum explicare: de incerto autem numero in solis forte verbis ab aliquo Doctore discordare credimus. De speciebus uero dicitur, quod de cõter notis speciebus uerificatur eorum dictum: alioquin non relinqueretur in ecclesia Dei millesimus quisque confessor, non erras; quum huiusmodi latentes species rarissimas sint manifeste. Et per hoc patet solutio sequentis obiectionis

& suae confirmationis: nam non dicimus quaedam singularia esse confitenda, & quaedam non: nec dicimus quaedam species peccatorum esse manifestandas, & quaedam occultandas: sed dicimus alio modo aperiri quaedam species, scilicet communiter notas: & alio modo aperiri quaedam alias species, scilicet quarum diuersitas est latens: illas in speciali, istas in una earum, seu aliquo huiusmodi. Et similiter dicimus omnia singularia confitenda; sed non eodem modo, nam certa in numero certo; incerta autem non, excessiue tamen multitudinis in numero verisimili (etiam si aliquo modo crassa fuerit estimatio) seu frequentia idem insinuante: incerta autem excessiue multitudinis sufficit in confuso significare, ut prudens confessor intelligat. Et ratio diuersitatis est diuersa habitudo ad salutari iudicium: hinc enim omnia pendunt. Et quia non omnes confessores sunt equalis perspicacitatis ac prudentiae: ideo aliquis applicandi modus sufficit apud aliquem confessorem, perpendentem inde totum quantum sufficit ad iudicium salutari, qui alteri non sufficeret. Similis quoque accidit quandoque disparitas ex parte poenitentium, quibusdam scilicet ante confessoris oculos breuissimè & clarè omnia sua peccata, ut ipsimet sciunt proponere, quibusdam autem inuoluentibus, aut laborantibus in singularum explanatione.

Ad rationem autem magis vigentem, diciturque, ut iam dictum est, adacquere penam culpae contingit dupliciter, vel simpliciter propter se uel quodammodo in ordine ad aliud. Et quod primo modo exigit exactam cognitionem cuiusque tam culpae, quam poenae: quia in aequalitate poenae ad culpam consistit: secundo autem modo non exigit exactam cognitionem culpae & poenae: quia non consistit in utriusque equalitate, sed exigit cognitionem commensurationis poenae ad finem. Et quum primo modo non est actus iudicii praesentis vitae: ideo ad confessorum non spectat actus iste, & quum potèria sit propter actum, non est opus ut confessori sic exactè nota fiant peccata, ut possit penam culpae adacquere simpliciter & absolute. Sed quia ad confessorum spectat commensurare poenam poenitenti in ordine ad suam salutem (quoniam hic est actus iudicii salutari sibi commissi) & huiusmodi commensuratio in quadam proportione media inter poenitentem & illius salutem consistit: sicut medicinam oportet esse proportionatam & sanitati recuperandae & infirmo (sunt enim medicinales poenae praesentis temporis) ideo & uera est Doctorum sententia dicentium, quod confessor debet posse adacquere poenitentiam arbitrarit saluatur. non commensurationis ad aequationem: licet non interueniat aequalitas inter culpam & poenam. Et uerum est, quod peccatorum notitia non exacta sufficit ad adacquendam poenitentiam arbitrandam a confessore.

### QUESTIO IIII.

*An peccata semel rite confessa subsequente absolutione et satisfactione, possint iterum fructuose confiteri, &c.*

**Q**uarietur quartò ad huc circa materiam confessionis, an peccata semel rite confessa, subiecta absolutione & satisfactione, possint iterum fructuose confiteri, &c. Videtur enim quod non.

Primo, quia nulla forma sacramenti est iterabilis super eadem numero materia: peccata autem sunt materia in hoc sacramento: ergo.

Secundo, quia oportet saluari ueritatè efficacè in formis sacramentorum, quae in hoc casu non saluatur: falsum namque diceret sacerdos, dicendo, Absoluo

te a peccatis tuis, &c. quoniam non absoluitur nisi ligatus: hic autem præsupponitur absolutus.

Tertio, quia hoc sacramentum quum ministratur per modum iudicii, exigit cognitionem vinculi, quæ in proposito non haberetur, si confitens de nullo, peccata alias confessâ solummodo exprimeret: lateret. n. confessorem istum esse alias ab his absolutum: ac per hoc lateret ipsum, poenitentem hunc vinculis horum peccatorum astringi uel non astringi: quod est inconueniens.

Quarto, quia si replicatio confessionis eorundem esset fructuosa, sequeretur quod aliquis eidem confessori replicando solummodo in comuni in confessionem, puta, dico meam culpam de his, quæ alias dixi, &c. fructum sacramenti perciperet: & sic in uno die centies replicando, centies fructum sacramenti perciperet: quod est ponere sacramenta in ridiculum.

Quinto, quia iudicium semel latum sine errore a confessore Deus sic ratificat, quod est irrevocabile. Et ergo rationale est, inquit, Scotus quod etiam sic ratificet quod sit irreiterabile, quo ad fructum.

Et confirmatur ex his, quæ uidemus in foro liti gioso: nam sententia diffinitiva absolutoria accusati innocenti, non replicatur: nec si replicaretur, ab solveret: quia non est amplius obligatus, ut absolui possit.

In oppositum uidetur esse communis opinio. Ad euentiam huius sciendum est contineri hic duo quæstia, scilicet iterare eorundem confessionem sit licitum, & an sit fructuosum. Et est sermo de confessione non mixta, quæ scilicet continet quædam peccata alias confessâ, & quædam nunquam confessâ: sed de confessione continente solummodo alias confessâ. Et similiter est sermo de fructu ex parte sacramenti, seu clauium, & non de fructu ex parte poenitentis, scilicet erubescencia & ampliori satisfactione, & huiusmodi. Nullus. n. dubitat huiusmodi erubescenciam ac satisfactionem esse fructuosam: & similiter nullus dubitat confessionem istam esse licitam & fructuosam, saltem ea ratione, quia utile per inuile adiunctum non uitatur.

De primo igitur quæsito non memini legisse me aliquem tenentem esse illicitum iterare eorundem puram confessionem. Et quæ circa hoc ingerere possent ambiguitatē, in primis argumentis tanguntur, ex quorum solutione manifestum erit, licitum esse eadem peccata pluries confiteri pure.

Et quia ratio, quam in secundo quæsito adducimus, hoc idem concludit, ideo irrefragabilem quæsitum. In quo inuenio Seco. in 4. sen. di. 18. respondendo ad primum, tenere partem negatiuam esse probabiliorē, ita quod sentit iteratam confessionem non esse fructuosam ex parte clauium, hoc est nec remittere culpam (quæ iam dimissa supponitur) nec remittere partem aliquam poenæ. Mouetur autem ex argumento quinto loco allato cum sua confirmatione. Sed reuera non solum minus probabilis, sed falsa est eius opinio. Quod sic patet: Quicumque suscipit quodcumque; ecclesiæ sacramentum rite ac digne, concurrentibus omnibus requisitis ad sacramentum (puta forma, materia, partibus omnibus, ministro idoneo, &c.) non solum licite recipit sacramentum, sed etiam recipit fructum sacramenti: sed in casu proposito poenitens rite ac digne suscipit sacramentum, &c. ergo est illi fructuosum sacramentum, quod est intentum. Maior est per se nota, positus. n. omnibus ex parte agentis, quod ipsius sacramenti, quam suscipientis, non est intelligibile, regulariter loquendo, non esse fructuosum sacramentum. Et patet inductiue

A in singulis sacramentis. Minor autem facile patet discurrenti per singula requisita ad sacramentum poenitentiae, tam ex parte ministri, quam suscipientis, quam ipsius sacramenti. Unde dicendum est, quod fructus iteratae confessionis, præsupposito fructu primo, est augmentum gratiæ & remissio aliquantæ poenæ, si tota prius non est remissa. Similem enim fructum habet prima confessio, ad quam heri contritus hodie accessit: augmentauit enim gratiam, & remissit aliquantam partem temporalis poenæ, si poenitens adhuc debitor illius erat.

Ad prima ergo argumenta, quæ contra primum militant quæsitum, respondendo dicitur, quod materia sacramenti poenitentiae existente duplici, scilicet remota, & propinqua (nam remota est peccatum: propinqua uero est ipse actus poenitentis scilicet confessio) non inconuenit super eadem materia remota, diuersa tamen existente materia propinqua, iterari formam sacramenti. Et propterea quia confessio non est eadem; licet sit eorundem peccatorum, potest licite replicari forma: imo recte loquendo, sicut materia propinqua est alia numero, & non est replicatio eiusdem: ita forma est alia numero, & non est replicatio eiusdem.

Ad secundum dicitur, quod hoc argumentum petit difficultatem communem huic quæsito, & alteri quæsito quid scilicet soluit quæ totaliter contritus & solutus a culpa & poena accedit prima confessione ad sacramentum poenitentiae, eadem est enim utrobique difficultas. Et eadem responsione satisfit utrique, dicendo, quod quia sacramentum est exterius sensibile signum, secundum ea, quæ exterius geruntur, ab ecclesiâ iudicatur & ministratur, ac per hoc quia poenitens proponit peccata sua, ut expiabilia, ac uideat, quibus seipsum alligauit: ideo ecclesiæ minister absoluit, id est sacramentum absolutionis impendit licite poenitenti alligationem. Et quia in sacramento efficitur intus quod significatur extra, ideo intus communiter fit absolutio peccati, saltim quo ad aliquam partem poenæ. Et licet hoc sufficere videatur, quia ad id quod communiter inuenitur, leges respiciunt: subiungendum tamen est stringentibus casum ad immunes etiam a poena, quod ipsa gratia augmentata, quæ per sacramentalem absolutionem confertur, habet rationem magis absolutiui: Quia enim sacramentum poenitentiae ex propria ratione habet quod sit medicinale, & curatiuum infirmitatis peccati actualis; & peccati actualis infirmitas consistit non solum in culpa, & uocata poena siue æterna, siue temporali, sed in multis aliis malis (ut clare patet in augmento uulnerum originalium) ideo absolutio sacramentalis, non solum extendit se ad culpam, & poenam, sed ad alia ex peccato actuali incurta mala. Ita quod gratia per sacramentalem absolutionem significata & collata, quatenus est sacramentalis huius sacramenti, eo ipso, quod extenditur ad amplius sanandum a morbo peccati actualis, habet rationem magis absolutiui a peccato, sicut gratia baptismalis, si baptizaretur quis plene consequutus baptismalem gratiam ex baptismo flammis, esset magis ablatiua a peccato, dum a peccati reliquiis magis mundaret. Cuilibet siquidem christiano sicut conuenit orare; Amplius laua me Domine ab iniquitate mea: ita conuenit orare, Amplius sana Domine: & amplius, Absolue Domine, &c. Nec putes nouam me introducere de effectu sacramenti poenitentiae doctrinam. Vide superius diuum Tho. in art. 1. quæst. 65. dicentem, extrema unctio ordinatur contra reliquias peccatorum, quæ



felicitet non sunt sufficienter per poenitentiam sublata, aut ex negligentia, aut ex ignorantia. Et percipere ex his, sacramentum poenitentiae ad tollendas et reliquias peccatorum se extendere, si ignorantia, aut negligentia ex parte nostra non impediatur sufficientem illarum ablationem.

Ad tertium dicitur, quod quia confessio fit de actibus peccatorum, & non de esse sub peccato (de bemus enim confiteri, quod fecimus tale & tale peccatum: an autem adhuc detineamur illius peccati vinculo, vel sub peccato non sumus, sub confessione non cadit) ideo factus est confessori cognoscere poenitentem confitentem se perpetrasse tale peccatum, & paratum ad poenitentiam, &c. sufficit enim quod subiiciat se iudicio, accusando seipsum, &c. Et confirmatur, quia poenitentiam egisse de talibus peccatis, pertinet ad circumstantias alleuantes sententiam iudicis, quas constat non esse opus confiteri.

Ad quartum dicitur, quod quia praecipuus sacramenti effectus est gratia prima vel eius augmentum: ideo frequentia sacramenti illis solis conuenit, qui seipso paratos reddunt ad gratiae augmentum. Et propterea non sequitur, quod fructus sacramentorum exponat ea ridiculo: non sunt enim frequentanda quantumcunque fructuosa sint, nisi a dispositis ad praecipuum eorum effectum; communiter autem huiusmodi dispositio non tam frequenter inuenitur in hominibus, ut totiens expediat confiteri.

Ad quintum dicitur, quod sequela nihil valet, quoniam irrevocabilitas sententiae pertinet ad firmitatem iudicis, & iudicii, infructuositas autem supposita iterabilitate praese fert, aut infirmitatem, aut minorem largitatem iudicis vel iudicii, iudicis quidem, si non vult, aut non potest virtutem dare simili iterato iudicio: iudicii autem si iudicium ipsi secundum se non est virtuosum, quale est humanum iudicium in foro litigioso. Et per hoc patet responsio ad confirmationem. Notanter autem dixi supposita iterabilitate: quoniam ex hoc ipso, quod Deus iterabile instituit sacramentum poenitentiae super eisdem peccatis, consequens est, ut fructuosum replicet. Secus autem est in non iterabilibus sacramentis: huiusmodi enim eo ipso quod sunt non iterabilia, uana sunt, si iterantur.

Q V A E S T I O V. *An confessio informis sit iteranda.*

**C**irca qualitatem confessionis queritur, an confessio informis sit iteranda? videtur enim quod sic. Primo quia instrumentum oportet moueri a principali agente, alioquin instrumenti ratio non saluatur: ergo iudicium poenitentiale oportet a ministro exerceri, prout mouetur a Deo: sed confessione existente informi non exercetur iudicium poenitentiale secundum motionem diuinam: ergo oportet de nouo confiteri, ut exercetur poenitentiale iudicium, ut instrumentum motum a Deo principaliter absoluitur.

Secundo, Confessione existente informi, deest una pars sacramenti, quae est contritio: ergo sacramentum non valet: sed est iterandum; ut patet in aliis sacramentis quando deficit aliqua pars.

Tertio, quia confessione existente informi, necesse est peccatum aliquod mortale subtrahi a materia absolutionis, ac per hoc necesse est confessionem non esse integram & consequenter esse reiterandam. Assumptum probatur tum quia communiter confessio informis accidit propter aliquid non explanatum in confessione. Tum quia peccatum illud, quod dum absolutio fit a poenitente committitur,

reiteretur, irreuerenter suscipiendo sacramentum, non est materia absolutionis: quoniam non potest simul poenitens peccare & absolui ab illo peccato.

Quarto, quia fructus sacramenti poenitentiae est remissio peccati ex coniunctione passionis Christi per sacramentum ad poenitentem: sed confessio existente informi non fit huiusmodi coniunctio, nec habetur hic fructus: ergo vanum fuit huiusmodi sacramentum, & consequenter iterandum est.

In oppositum est autoritas diui Thomae in 4. sent. distinctione 17.

Circa hanc difficultatem (quae propter diuersas opiniones adhuc sub iudice videtur esse) sciendum est, quod vitandi sunt duo extremi errores. Alter est quod omnis confessio informis est valida, ita ut non sit iteranda: clare siquidem patet confessionem illius, qui propter verecundiam peccatum aliquod mortale tacuit, esse informem & reiterandam. Alter est, quod nulla confessio informis est valida, ita quod non sit iteranda.

Nam clare constat nescire nos, an aliqua nostra confessio fuerit formata, quia nescimus nos esse in gratia, & cum hoc dubio non curare nos amplius de memoria peccatorum, ut denuo confitentur: quum tamen oportet nos esse sollicitos ad pluries confitendum, ut quandoque fieret confessio firmata: & sic nunquam finis imponendus esset confessioni, ut tunc pars eligeretur: quod constat uniuersalis ecclesiae aures offendere. Ex utroque autem errore praesertim est vitandum, quod non ad ipsam informitatem, sed ad informitatis causam resolueri oportet validitatem vel non validitatem informis confessionis: ex eo enim, quod aliqua informis confessio est valida, & aliqua non est valida, non ex ipsa informitate, sed aliunde, puta ipsius informitatis causa provenire debet, quod aliqua sit valida, & aliqua non.

Et quoniam causa haec se tenet ex parte poenitentis cuius duo sunt actus usque ad absolutionem, scilicet contritio & confessio; ideo hinc scrutandum est quid veri appareat. Ex parte igitur confessionis certum est confessionem ex proposito non integram propter verecundiam, aut aliquid huiusmodi, esse inuvalidam ac reiterandam: & in hoc nulla est questio.

Ex defectu autem contritionis tota oritur difficultas, quae, ut clarius elucescat, distinguendus est contritionis defectus: habet enim multos gradus. Minimus autem contritionis defectus est ipsa absentia charitatis: qui enim sunt ita attriti, quod dolent de praeteritis omnibus, ut de summo odibili, & proponunt vitare mortale peccatum ut summum vitabile, si confessionem subeunt informem, non tenentur iterare confessionem, sed est eorum confessio valida. Nec alia hoc eget probatione, quam superius adducta ex uniuersalis ecclesiae testimonio: omnes enim sapientes & timorati viri sic dispositis mandant imponendum esse confessioni finem.

In inferiori autem gradu contritionis sunt ficatriti, ut doleant quidem de omnibus praeteritis: non tamen ascendunt usque ad hoc, ut doleant de eis tanquam summo odibili: & similiter proponunt cauere de futuro non tamen tanquam a summo vitabili. Et hoc bifariam contingit: primo sine discussione talis defectus; quia scilicet non discunt poenitentis dolorem suum de commissio mortali, an sit tanquam de summo vitabili. & similiter propositum suum vitandi mortale, an intendatur itare tanquam summum vitabile. sed occurrit tunc ei dolere de peccato,

&

& cauere de futuro (sicut si offendisset vnum hominem & doleret de offensa praterita & intendere amplius illum non offendere) in eius tamen animo non ita dominetur effectus tam vitandi offensa in futuro, quam detestandi commissam in peccato, ut pro summis malis hac habeat. De horum numero vti nam non maxima pars Christianorum penitentium sit, quos non sicut primos puto virtute clauium de attritis regulariter fieri contritos: sed in sua attritione absolui & communicare. Cuius signum est, quod charitas sicut positum presert Deum omni amabili, ita facit apud habentem ipsam offensa Dei odibilior omni odibili, & magis vitandam omni alio vitabili: operatur enim hec magna amor Dei, si est: & si hec non operatur, non est charitas Dei. De istorum confessione intelligo doctrinam diui Thomae quod confessio informis per defectum contritionis est valida, ita ut non sit iteranda: & erit eis fructuosa quoniam ascendent ad cor altum, ut habeant peccatum pro summo odibili & summo vitabili, & confitebuntur fictionem suam hanc, qua ut contriti sacramentum susceperunt: quam in veritate contriti non essent. Quare autem homini confessio sit valida, inferius declarabit. Si vero homini attriti animaduertent, se non esse contritos, simile est eorum confessione iudicium & de confessione illorum qui sunt in tertio gradu de quibus modo subiungimus, quod in infimo loco attritorum sunt, qui ambas contritionis partes, aut parum attingunt, aut saltem altera carent. Ad contritionem enim quum duo spectent: dolor de peccato, & propositio cauendi de cetero, infimi proculdubio sunt, qui de prateritis quidem aliquantulum dolent, & de futuro velleitatem habent cauendi. Inter quos est etiam latitudo, non solum secundum gradus doloris & velleitatis, sed etiam secundum differentiam percipientis, vel non percipientis statum proprium: & similiter secundum differentiam explicantis, vel non explicantis in confessione plene se ipsum. Nam qui homini statum suum non percipit, ac per hoc non explicat contritendo, integre quidem confitetur quantum est ex intentione; qui autem percipit & confitetur, etiam integre ex intentione confitetur: qui vero percipit & non confitetur, quia non occurrit sibi hoc quasi peccatum confitendum, adhuc integre ex intentione confitetur: secus aut si nollet hoc confiteri: tunc enim ex proposito dimidiaretur confessio. Et similes distinctiones fieri possunt de attritis in secundo gradu positus. Quocirca de omnibus dicitur, quod quum ex proposito taceatur peccatum sacrilegii ex tali statu penitentis surgens, confessio non est valida, sed iteranda: si quidem confessioni non sola contritio, sed integritas ex proposito. Quoniam vero confessio ex proposito est integra, omnium confessio videtur valida: ita quod non est necessitudo iteranda. Quamuis differentia sit inter eos, quo ad vitandum sacrilegii peccatum: quoniam percipientes statum suum malum, & confitentes eundem, putantesque se non sacrilegio, sed bono operam dare, rogando confessorem, ut eos absoluat, excusantur, si bona fide cum sacerdote docto id tractent, a sacrilegii peccato. Nec obstat, si dicatur, quod ista est ignorantia iuris diuini: quoniam in homini, que sunt iuris diuini positiui, excusantur indocti, quoniam a doctoribus iudicibus sic erudiuntur: statuit enim Deus leges suas ad infimos per medios peruenire. Vnde & Apostolus, mulierem a viro suo interrogare iubet, si quid voluerit scire. Illos autem qui non explicant, confitendo, hu-

A iusmodi malum statum suum, nescio excusare a nouo sacrilegii peccato: deberent enim saltem sacerdotis arbitrio iudicandos offerre seipsum in his, quae contra penitentes nosse & confiteri consueverunt: communissimum autem est penitentibus omnibus confiteri voluntatem suam de non cauendo de cetero: hoc enim etiam mulierum & sciunt & seruant.

Communis autem ratio quare attritorum omnium integra quidem, sed informis confessio est valida, ita quod non est iteranda, assignatur a diuo Thoma. Quia sacramentum penitentiae verum inuenitur & fructuosum non tunc, sed quando aderit contritio. Et quidem quod verum inueniatur sacramentum, non solum secundum illorum opinionem, qui negant contritionem esse partem sacramenti penitentiae, apparet, quia nihil deest huic sacramento nisi contritio: sed et tenendo contritionem esse partem sacramenti penitentiae, manifestatur ex eo quod contritio non secundum se, sed relata ad confessionem (hoc est ut est spontanea voluntas recompenfandi ad arbitrium sacerdotis) pars sacramenti est posita superius a diuo Thoma. Hec autem in posita confessione inuenitur, dum quilibet sponte eligit submittere se iudicandum sacerdoti, &c. Quia concurrunt igitur ad sacramentum huiusmodi, omnes partes eius, quae se tenent loco materiae, & forma & minister debitus, consequens est ut sit verum ecclesiasticum sacramentum. Quod autem existente vero sacramento, informitas non pariat reiterationem, sed fructum futuro tempore, a diuo Thoma probatur: quia sic est in aliis sacramentis, & uere sic est de Baptismo, Confirmatione, Ordine, &c. Nec obstat, dicere quod hoc verificatur in istis sacramentis, quia non sunt iterabilia, aut quia imprimunt characterem; utrunque enim per accidens se habet ad fructum pro futuro tempore. Ex quo inferri potest, quod non oportet iterari, etiam si esset iterabile: ex eo namque quod sacramentum est propter fructum eius: & fructus eius potest in futurum haberi sine ipsius iteratione, optime sequitur, quod non oportet sacramentum ipsum iterari. Amplius extrema unctio est sacramentum iterabile, & tamen, si in contritus suscipit quis extremam unctionem, & post horam conteratur, non reiterabitur extrema unctio: nec carebit infirmus moriens illius fructu: quoniam si careret illius fructu petenti infirmo iterari extremam unctionem, ob suam in contritionem ecclesia non negaret: quam tamen negat, dum super eundem morbum, &c. ordinat non repetendam. Ex hoc ergo, quod informiter suscipiens sacramenta, siue iterabilia, siue non, ex ipsa informitate licet perdat fructum pro tunc, immo quoniam addat nouum peccatum mortale pro tunc, non tamen perdit fructum sacramenti, pro quanto erit contritus, habetur non oportere iterari sacramentum. Nec oportet aliam huius rationem querere, quam ipsam sacramenti vim ritumque ecclesiae. Augustinus enim primus hoc docuisse videtur de Baptismi fructu; diuus Thomas ad alia sacramenta hoc extendit; & ecclesiae ritus hoc videtur semper seruasse: fructu quoque extreme unctionis attestante. Et propterea concludendum videtur hoc loco, non plus sapere quam oportet.

Ad primum in oppositum dicitur, quod sacerdote presumente soluere impenitentem, sacramentale iudicium exercetur, ut Dei instrumentum quodammodo non, & quodammodo sic. Nam quo ad modum exercendi non procedit a Deo: quoniam sacrilege exercetur; quo ad substantiam vero sacramenti,

menti, a Deo procedit simpliciter & absolute. Et quia sacramentum secundum se est fructuosum, ideo a Deo procedit ut sacramentum fructuosum fortiturum effectum, quoniam suscipiens est dispositus: Et licet tempus dispositionis ex parte recipientis arctetur ad tunc: tamen ex diuina largitate extensum intelligimus ad tunc, vel postea, quando erit dispositus: ut in Baptismo contingit, ideo non oportet sacramentum repetere, ut a Deo actore exerceatur.

Ad secundum dicitur, quod in contritione duo sunt: scilicet re compensare, & charitas informans illud velle. Et respectu quidem sacramenti poenitentiae absolute, sufficit contritio: quo ad primum, respectu autem eiusdem fructuosi in ipsius presentia, concurret contritio et quo ad secundum: & hoc solum deest in proposito. Unde nulla pars sacramenti ut necessaria est ad sacramentum, deficit: quamuis deficiat ut necessaria ad sacramenti effectum nunc.

Ad tertium dicitur, quod quia actus morales ex se obiecto iudicantur, ille solus dimidiat confessionem, qui ex intentione integritatem uiolat; & propterea quum in proposito supponatur, confessionem esse ex intentione integram, licet materialiter non sit integra, non sequitur, confessionem esse iterandam. Aduerte tamen hic, quod sicut in aliis vitiis tam enormiter contingit errare materialiter, ut actus redeat ad naturam formalem sui generis (ut patet in detractione, contumelia, & huiusmodi: contingit, nam tam grauitur absque intentione detrahendi detrahere famam proximi, ut ipsa magna lesio incurfa minus estimata, detrahendi actum in detractionis naturam reducat) ita potest contingere quod ex nulla aut tam crassa & supina conscientia discussione, aliquorum peccatorum mortalium confessio omittitur, ut materialis violatio integritatis in formalem reducat, tanquam dimidiationis incurfus ille, qui pro nihilo estimatus est, intentus fuerit. Unde tales ad reiterandam confessionem inducendi sunt. In quorum numero uident esse illi, qui cum sola uelleitate abstinendi a peccato confitentur & absoluntur, tacentes huiusmodi peccatum & impedimentum, quod etiam muliercule nouerunt, & consueuerunt explicare.

Ad quartum dicitur proportionaliter sicut ad primum, quod licet sacrilege, sacramentum tamen conjunctionis fructuosae secundum se passionis Christi ad poenitentem exerceatur: cuius fructus etsi non tunc, qui tamen erit dispositus poenitens, percipietur, unde non fuit sacramentum vanum, quod Deus adeo acceptat, ut non exacta repetitione sacramentalem gratiam conferat, quam primum poenitens fuerit dispositus, quam sacramentum preiens erat daturus, si tunc poenitens fuisset dispositus.

### TRACTATUS SEXTUS, De satisfactione poenitentiali in duas Questiones diuisus.

- 1 Num poenitentialis satisfactio de alias debito fieri possit.
- 2 Num pro contrito & confessio peccato imposita satisfactio si exoluitur in peccato mortali, sit iteranda.

#### QVAESTIO I.

An satisfactio poenitentialis possit esse de alias debito.

**C**IRCA satisfactionem poenitentialem quaeritur primo, an possit esse de alias debito. Et videtur, quod non, primo ex ipsa ratione satisfactio-

nis. nam satisfacere est facere equale debito; non fieret autem equalitas, si alias, id quod sit esse debitum: minus enim fieret quam deberetur. Et confirmatur hoc ex simili in reliquis satisfactioibus.

Secundo, quia ritus ecclesiae hoc habet ut poenitentias iniungat non de ieiunijs, & orationibus, quae sunt in precepto,

Tertio, quia secundum Anselmum in libro Cur Deus homo, per illa sit satisfactio, quae non possent ab homine exigi nisi peccasset: sed precepta possent ab homine exigi, etiam si non peccasset: ergo de preceptis non potest fieri satisfactio poenitentialis.

In oppositum est, quod in casu quo martyrium est in precepto, satisfactio per illud fit: non derogatur ergo satisfactio poenitentiali esse alias debitum.

Ad huius euidentiam sciendum est plures tenuisse doctores partem negatiuam quaestionis propter argumenta inducta. Et quoniam pars affirmatiua mihi uidetur uera, ideo eius ueritas monstranda est, assumendo pro fundamentum, quod uerum & idem opus a diuersis directum seu assumptum principijs, multiplex est efficacia in his, quae sunt iustitiae mixtae, qualis est inter hominem & Deum. Sub qua consistat comprehendi satisfactionem poenitentialem; quoniam nulla nostra satisfactio est sufficiens in aequiualentiam exactam a pura iustitia: sed secundum diuinam acceptationem. probatur ergo primo interitum sic, eadem pena si a minori charitate procedit, est minus satisfactoria, & a maiore charitate procedens est magis satisfactoria: ergo pena alias debita, si procedat a maiore charitate, uel a uirtute clauium, erit plus satisfactoria, quam ipsa secundum se, ut erat alias debita: ergo pena alias debita potest assumi in satisfactionem poenitentialem. Assumptum est notum, & approbatum de excellentia satisfactionis in passione Christi propter excellentissimam illius charitatem, a qua procedebat. Consequentia autem est per se euidentis, & tanto euidentior, quanto in satisfactione poenitentiali plus pensatur quantitas ex diuina acceptatione, quam in substantiam operis seu poenae, quam pura iustitia consideraret.

Præterea unum & idem opus cum hoc quod est alias debitum Deo, est meritum de condigno aeternae uitae: ergo potest esse etiam satisfactorium poenae pro peccatis debita. Assumptum patet: quia honorando parentes (quod est opus preceptum) mereor si ex charitate illos honoro, uitam aeternam de condigno. Consequentia probatur, ex eo quod ratio alias debiti non minus officit ad constituendum ius futurae mercedis, quam ad constituendum ius recompensandi preteritum debitum: opus siquidem alias debitum, si potest cum hoc efficere, ut exigente iustitia merces sibi debeatur tam excellens, qualis est aeterna felicitas, multo magis sufficiens est, ut constituat ius soluti pretij debiti tam minimi, quale est temporalis poena. Et confirmatur: quia tribus existentijs uirtutibus, scilicet charitate, gratificatione & poenitentia, & actus alias debitus potest ex charitate efficaciam meritoriam, & gratificatione efficaciam gratiarum actionis sortiri: cur non assumptus a poenitentia uim satisfactoria sortietur? nunquid diuina acceptatio tam larga in merito & gratificatione, manca est in satisfactione? an forte plus iustitiae locum habet in amico circa solutionem poenae, quam circa gratiarum actionem, aut meritum?

Præterea, ad particularia descendendo, & discurrendo per consilia, quando sunt in precepto, idem apparet: in casu enim quo tenetur quis elemosinam facere, cur non potest poenitens ordinare illam pro